

CAPUT QUINQUAGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Joseph cum fratribus et Aegyptiis plangit patrem defunctum, eumque sepelit in Hebron. Secundo, vers. 15, fratres ob scelus pavidos consolatur. Tertio, vers. 23, moritur, cupitque sepeiri in Chanaan.

1. Quod cernens Joseph, ruit super faciem patris, flens et deosculans eum. 2. Præcepitque servis suis medicis ut aromatibus condirent patrem. 3. Quibus jussa explentibus, transierunt quadraginta dies : iste quippe mos erat cadaverum conditorum, flevitque eum Aegyptus septuaginta diebus. 4. Et expleto planctus tempore, locutus est Joseph ad familiam Pharaonis : Si inveni gratiam in conspectu vestro, loquimini in auribus Pharaonis, 5. eo quod pater meus adjuraverit me, dicens : En morior : in sepulcro meo quod fodi mihi in terra Chanaan, sepelies me. Ascendam igitur, et sepeliam patrem meum, ac revertar. 6. Dixitque ei Pharo : Ascende et sepeli patrem tuum sicut adjuratus es. 7. Quo ascendente, ierunt cum eo omnes senes domus Pharaonis, cunctique majores natu terræ Aegypti : 8. domus Joseph cum fratribus suis, absque parvulis et gregibus, atque armentis, quæ dereliquerant in terra Gessen. 9. Habuit quoque in comitatu currus et equites, et facta est turba non modica. 10. Veneruntque ad aream Atad, quæ sita est trans Jordanem, ubi celebrantes exequias planctu magno atque vehementi, impleverunt septem dies. 11. Quod cum vidissent habitatores terræ Chanaan, dixerunt : Planctus magnus est Aegyptiis. Et idcirco vocatum est nomen loci illius, Planctus Aegypti. 12. Fecerunt ergo filii Jacob sicut præceperat eis, 13. et portantes eum in terram Chanaan, sepelierunt eum in spelunca duplici, quam emerat Abraham cum agro in possessionem sepulcri ab Ephron Hethæo contra faciem Mambre. 14. Reversusque est Joseph in Aegyptum cum fratribus suis, et omni comitatu, sepulto patre. 15. Quo mortuo, timentes fratres ejus, et mutuo colloquentes : Ne forte memor sit injuriæ quam passus est, et reddat nobis omne malum quod fecimus, 16. mandaverunt ei dicentes : Pater tuus præcepit nobis, antequam moreretur, 17. ut hæc tibi verbis illius diceremus : Obsecro ut obliviscaris sceleris fratrum tuorum, et peccati atque malitiæ quam exerceverunt in te; nos quoque oramus ut servis Dei patris tui dimittas iniquitatem hanc. Quibus auditis flevit Joseph. 18. Veneruntque ad eum fratres sui, et proni adorantes in terram dixerunt : Servi tui sumus. 19. Quibus ille respondit : Nolite timere; num Dei possumus resistere voluntati? 20. Vos cogitastis de me malum; sed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me, sicut in præsentiarum cernitis, et salvos faceret multos populos. 21. Nolite timere, ego pascam vos et parvulos vestros; consolatusque est eos, et blande ac leniter est locutus. 22. Et habitavit in Aegypto cum omni domo patris sui, vixitque centum decem annis. Et vidit Ephraim filios usque ad tertiam generationem. Filii quoque Machir filii Manasse nati sunt in genibus Joseph. 23. Quibus transactis, locutus est fratribus suis : Post mortem meam Deus visitabit vos, et ascendere vos faciet de terra ista ad terram quam juravit Abraham, Isaac et Jacob. 24. Cumque adjurasset eos atque dixisset : Deus visitabit vos, asportate ossa mea vobiscum de loco isto : 25. mortuus est, expletis centum decem vitæ suæ annis. Et conditus aromatibus, repositus est in loculo in Aegypto.

Vers. 2. 2. MEDICIS, UT AROMATIBUS CONDIRENT PATREM, — puta balsamo, myrrha, casia aliisque aromati-

bus, quæ et cadaver a putrefactione servant, illique gratum odorem conciliant. Singulares in hæc

arte condiendi corpora fuerunt Aegyptii; testantur id etiam hodie *caromonia*, id est cadavera ante multos centenos annos sepulta, quæ jam emuntur et venduntur, atque pharmacopis ad pharmaca serviunt; hæc enim ex Aegypto advehuntur. Morem conditure Aegyptiæ tradit Herodotus, lib. III, et Diodorus lib. I.

Anagogice, Rabanus : « Felix, inquit, illa anima, quæ virtutum aromatibus condita, in loculo corporis degentes, perenni vitæ reservatur » (1).

5. QUOD FODI. — « Fodi, » id est emi. Sic Osce fodit, id est emit sibi uxorem, Osse III, 3. Unde hæc phrasîs manarit, ibi dixi.

Dices : Versu 13 dicitur non Jacob, sed Abraham emisse hanc speluncam sepulcralem. Respondeo : Abraham eam emit; sed cum postea Jacobo de eadem ab Hethæis lis moveretur, coactus fuit Jacob secundo eam emere. Alii sic explicant : « quod fodi, » sive emi, id est quod emit Abraham, avus meus, cujus ego sum filius et hæres.

Verum dico simpliciter hic accipi « fodi; » nam in spelunca hæc duplici et ampla, varia effodi poterant sepulcra; sum ergo sibi effodit Jacob. Ita Vatablus, Pererius et alii.

10. AREAM ATAD. — Dicta est hæc area Hebraice *Atad*, a spinarum multitudine. Situs est locus hic, ait Procopius, juxta Hierichentem, nunc ei nomen est « Betagla, » id est domus circuli. Nam cum ibi lugerent Jacob defunctum, in modum circuli et coronæ circumsteterunt cadaver. Ita S. Hieronymus, nisi quod dicat eos circumisse cadaver, qui mos veterum fuit Gentilium, ut patet ex Homero et Virgilio, inuocæ defunctis Salve et Vale inclamabant, eisque terram levem, pacem et quietem imprecabantur, ut docet Kirchmannus, lib. III *De Funer.* cap. III et IX.

TRANS JORDANEM. — Venientibus ex Chanaanæ; nam venientibus ex Aegypto Atad est eis Jordanem.

Nota : Joseph cum suis planctum hunc fecit in Atad, non in Hebron ubi sepeliendus erat pater, ne, si in Hebron, in intimis Chanaanæ, tamdiu consisterent, Chanaanæ suspicionem aliquam conditionis moverent, aut cum eis rixas aliquas bellumve contraherent. In Atad ergo Joseph cum toto suo comitatu, planxit patrem septem diebus, inde perrexit in Hebron, ibique sepulto patre filio domum reversus est. Ita S. Augustinus (2).

16. MANDAVÉRUNT. — Submiserunt nuntium, vel legatum, forte Benjamin insontem, et Josephi fratrem uterinum, qui nomine non tam suo, quam patris defuncti, hæc a Josepho postularet. Videtur mentiri hic fratres, et nomine patris abuti, ut male sibi consilii eo se protegant. Pater enim de

(1) Vers. 4. Josephus Aegyptiis utitur intercessoribus, quod ipse cum suis in luctu versabatur; non enim solebant nullati supplicare coram rege. Cf. *Esth.* IV, 2.

(2) Vers. 11. Alii Hebr. vertunt, *plantities Aegyptiarum.* Vers. 15. Hebr. est, *foras adeo nos habuerit Josephus.*

Josephi virtute, mansuetudine et charitate fratribus ostensa per experientiam certus, nil mali fratribus, ab eo metuebat; et si metuisset, vivens id Josepho dixisset, plenamque eis veniam et præteritorum oblivionem impetrasset.

17. UT SERVIS — (ita legendum cum Hebræis, Vers. 17. Græcis et Romanis, non *servo*) DEI PATRIS TUI. — Ut nobis scilicet, qui sumus servi Dei, Dei inquam veri et aviti, quem coluit pater tuus, dimittas iniquitatem, quam in te exerceimus.

19. FLEVIT JOSEPH — dolens fratres anxii, et Vers. 19. reconciliationi suæ diffidere. Infide hæc narrat Josephus : ulcisci se noluit Joseph; sciebat enim, quod ultionis momentanea est delectatio, misericordiam sempiterna.

19. NOLITE TIMERE : NUM DEI POSSUMUS RESISTERE VOLUNTATI. — Ergo, inquit Melancthon, tam est opus Dei proditio Judæ, et venditio Joseph, quam vocatio Petri. Ita et Calvinus.

Respondeo : imprimis Septuaginta vertunt, *nolite timere, Dei ego sum*, scilicet servus; et Chaldaeus, *nolite timere, a facie Dei timen*, q. d. Absit a me qui sum servus et imitator Dei, ultionis appetitus, et vindictæ cupidio. Ita S. Chrysostomus et Bellarminus, lib. II *De amissione gratiæ*, cap. XI. Sic et Suarez nostram versionem explicat : « Num Dei possumus resistere voluntati, » ei scilicet, qua vult ut vobis parcam?

Verum pro intelligentia nostræ versionis nota : Deus absoluta voluntate ante omnia decreverat Josephum in Aegyptum mittere, sive per se, sive per suos fratres, eumque ibi exaltare, et per eum fami communi consulere. Deinde providit aptum ad id fore medium fratrum malitiam, si eam permitteret exequi odium suum, quod in Josephum conceperant. Eam ergo Deus sapienter permittit, et ad finem jam dictum ordinare decrevit.

Nota secundo, Deus circa peccata duplicem habet voluntatem et providentiam : primo, permissivam, non autem immissivam peccati, ut vult Calvinus; secundo, ordinativam, qua peccatum ordinat ad justam penam, vel aliud commum, aut privatum bonum; neutri voluntati Dei homo proprio potest resistere. Utraque enim est in solo Deo, et Dei libertate sita.

Perperam ergo Cicero, ut libertatem humani arbitrii tueretur, illud Deo subjecit, et ab eo regi negavit; hinc merito de eo dixit S. Augustinus, lib. V *De Civit.* cap. IX : « Cicero, ut nos faceret liberos, fecit sacrilegos. »

Dices : Ergo etiam peccato homo resistere nequit; hoc enim necessario sequitur ex permissiva voluntate Dei. Respondeo : Ex hæc Dei voluntate peccatum non sequitur necessario, sed infallibiliter, perinde ac sequitur ex præsentia Dei; peccatum enim voluntatem Dei non sequitur, sed antecedit : est enim ejus obiectum. Itaque antequam Deus vult permittit peccatum, prævidet illud, videtque illud futurum, si ipse id velit permittit. Nam causa per se, et positiva peccati est

Duplici
Dei vo-
luntas et
provi-
dentia
circa pec-
cata.

Peccatum
voluntatem
Dei ante-
cedit.

voluntas hominis; Dei autem voluntas tantum est causa peccati permissiva, quæ tantum est causa sine qua non.

Nota tertio, Joseph hic, ut injuriæ fratrum se oblitum ostendat, utque eam elevet, et fratres consoletur, more piorum et sanctorum, ad utramque Dei voluntatem hoc fratrum peccatum refert; unde hebraice est, *num pro Deo ego?* id est, an Deus sum ego? qui scilicet hæc omnia dixerim et ordinari tam commode et congrue, *q. d.* Cum Deus omnia suo nutu gubernans et coordinans (hoc enim hebraice est *Elohim*) decrevit me mittere in Ægyptum, eique me præficere, tam ad meum, quam ad vestrum, imo commune omnium bonum, scilicet ad publicam famem levandam; atque ad hoc permisit vestrum scelus, quo me vendidistis in Ægyptum, eoque quasi medio usus sit ad hanc meam præfecturam: absit ut pena afficiam eos, quorum scelus mihi in summum bonum cessit, quosque Deus vult esse salvos: quin potius de tam felici eventu, qui Dei voluntate et providentia ex vestro scelere mihi et vobis accidit, gaudendum est, Deique voluntati hæc omnia tam permittenti, quam ordinanti ascribenda et submittenda sunt. Hunc esse sensum patet ex seq. et ex cap. XLV, vers. 5 et 8. Ita interpretes et doctores, ac præsertim S. Chrysostomus, *hom. 64*, et Ambrosius, *lib. De Joseph*, cap. XII, et ex his Ludovicus Molina, *1 part. Quæst. 49, art. 9, disp. 2*. Sic Apostolus ad *Romanos*, XI, ut Gentes moveat ad compassionem, qua non indignentur, sed condoleant incredulitatem Judæorum, dicit eorum incredulitatem et delictum esse salutem Gentium: quia scilicet prædicatio Evangelica, ipsique præcones Evangelii, puta Apostoli, repulsi a Judæis, deflexerunt ad Gentes, easque ad fidem, salutem et gratiam adduxerunt. Additque Apostolus, Deum conclusisse, id est concludi permisisse, omnia sub peccato, ut omnium misereretur, *q. d.* Ergo et vos, o Gentes, Deum imitami, et ut Deus vestri miserus est, ita et vos Judæorum miseremini (1).

(1) Hic locus verit potest: *Ne timeatis; nam numquid pro Deo sum ego?* Varie autem accipitur. Quidam eo referunt, quod versus superiore dicitur fratres Josepho submissis, et coram eo prodisse in faciem, quasi Josephus non sibi sed Deo hoc præstandum dicit, quin tamen istam reverentiam passim antea admisit, supra *XII, 6; XII, 26, 28*. Nec se pro Deo ab illis adorare agnoscebat, ut amoliri a se deberet. Alii ad vindictam referunt, Dei esse, non summe culpam ab illis in se commissam ulcisci. Sed Josephum fratris culpam omnino remisisse, dubio caret. Verius videtur phrasim illa adagialis fuisse, nec aliter hic capiendi ac supra *XXX, 2*, ubi Jacobus ad Rachelem postulantem prolem dixisse narratur: « Num pro Deo sum ego, ut tibi dem prolem? » Sic hoc loco Josephus hoc vult: quum ita Deus stauerit, et malum hoc, uti sequitur, sua providentia admiranda in bonum converterit, summe Dei loco, ut impediam ejus providentiam, et in perniciem vestram convertam, quod ille aperte convertit in bonum vestrum et multorum? Deus vos servavit ratione voluit, sicut et me: num ego nitar

la Sancti in voluntatem Dei omnia resignantes excusaverunt vitia et afflictiones sibi ab aliis illatas, easque animo quieto et sereno exceperunt: ut David, qui maledictionem Senei retulit ad voluntatem Dei, volentis punire sua peccata, ideoque noluit eum puniri. Et Machabæi, qui suos cruciatus acceptos tulerunt Deo, et divini castigationi. Sophronius memorat Abbatem, cui discipulus per imprudentiam in mensa olera peramara apposuit; dissimulavit rem Abbas: gustans ex eisdem postea discipulus, errorem agnovit, et veniam precatus est. Cui Abbas: « Voluntas, inquit, Dei fuit, ut talia mihi apponderes. Si enim Deus aliud voluisset, effecisset ut alia proponeres. » Est enim hic actus magnæ humilitatis, resignationis et conformitatis cum voluntate divina, in qua consistit perfectio humana et angelica. Vidit hoc per umbram Gentilis Pythagoras, qui inter aurea sue ethices carmina et præcepta, hæc inter prima ponit:

Mortales quæcumque diis mittentibus angunt,
Ut tua sors tulerit, patiens ne ferre recuses:
Non speranda medela tamen.

20. VOS COGITASTIS DE ME MALUM. « Cogitastis » *Vers. 20.* tantum, quia vestras utpotè hominum contra me machinationes, Deo me protegente, non potuistis perficere.

21. BLANDE ET LENITER. — Hebraice est, *locutus est ad cor eorum*. Videant hic fideles, videant et imitentur principes clementiam et mansuetudinem Josephi, imo Christi, qui ait: « Discite a me, quia mitis sum et humilis corde. » Clemens erit Alexander Severus Imperator; objiciebant hoc illi mater et uxor, dicebantque: « Molliorem tibi, magisque contemptibilem imperii dignitatem fecisti; » ille: « Sed securiorem, respondit, et diuturniorem. »

Constantinus Imperator raptos ejusdam virginis in exilium relegarat; parentes indignabantur eos non esse morte multatos. Tum ille: « Hactenus, inquit, incensur jura clementie; sed Imperatorem, mitissimi animi legibus, cæteris præstare decet. »

Sic Carolus Magnus filiam, quod cum Eginharto secretario fornicata esset, utrumque mortis reum, non morte punivit, sed conjugio copulavit. Rem fuse narrat Lipsius, *lib. II. Monit. Polit. cap. XII, num. 12*.

Rudolphus Imperator Austriacus, ex severitate mitior factus: « Severum, inquit, et immitem fuisse me aliquando penituit; lenem et placabilem, nunquam. »

A Ludovico XII quidam postulavit bona civis cujusdam Aurelianensis, qui acerrimus Ludovici fuerat hostis, eo tempore, quo Ludovicus dux adversus ejus providentiam et vos perdam? absit! Cf. supra *XV, 8*. Eundem sensum videtur spectasse Hieronymus, qui hunc locum sic est interpretatus: « Num Dei possumus resistere voluntati? »

Rosiana.
70 se duo
atque
in feris.
dis præ
catis
alioquin,
magna
est per
fectio.

Vers. 21.
Exemplum
demonstrat
ut præ
cipua.

et 22
videtur
se Jo
phi.

tantum erat Aurelianensis, et a Carolo VIII rege Francie dissidebat; cui Ludovicus animo plane regio: « Tu, inquit, aliud a me pete, et meritis tuis gratia erit. De isto omite: nam rex Gallia non ulciscitur injurias Ducis Aurelianensis, » *q. d.* Rex factus nolo ulcisci injurias mihi in Ducatu illatas.

Alfonsus, Aragonum rex, teste Panormitano, rogatus cur erga omnes, etiam malos, ita mitis esset, respondit: « Quia bonos justitia conciliat, malos clementia. » Curque sui de nimia ejus lenitate quererentur: « Quid ergo, inquit, vultis ursos et leones regnare? hominum clementia, belluarum feritas propria est. Malo multos mea clementia servare, quam paucos mea severitate perdere. » Quidam ei obijcit: Cave ne tua hæc clementia in perniciem cedat; cui ille: « Imo vero, inquit, multa mihi ferenda sunt, ne invidiam cadam. » Idem, rogatus quid maxime adversarios fleteret, respondit: « Placabilitatis et mansuetudinis nomen. »

Idem contra Venetos, instructa acie, procedens, cum illi occurrenter, humiliterque pacem petent, atque sui quidvis ab eis extorquere cuperent, Alfonsus respondit: « Nullum aliud date pacis præfium existimo, quam hostibus, genibus ad me advolutis, pacem dare. » Recte Ovidius:

Conveniens hominum est hominem servare voluptas:
Et melior nulla queritur arte favor.

Videmus id nunc in Belgio.

22. VIXITQUE CENTUM DECEM ANNIS. — Hæc est periodus vite Josephi: Joseph a fratribus venditus est anno ætatis sue 16, Jacobi 107, mundi 2216. Servitum et carcerem toleravit 13 annis. E carcere eductus, factus est princeps Ægypti anno ætatis sue 30, patris 121, mundi 2230. Patrem Jacobum in Ægyptum vocavit, eumque ibi excepit anno ætatis sue 39, patris 130, mundi 2239, qui fuit ab exaltatione et principatu suo nonus, post obitum Isaac decimus. Obiit Joseph anno ætatis sue 110, ab exaltatione sua 80, ab obitu patris 54, mundi 2310, ante exitum Mosis et Hebræorum ex Ægypto 144.

Moraliter S. Chrysostomus, *hom. 67* et ultima: « Vidisti, ait, quomodo majora sint præmia quam labores, retributionesque multipliciores. Tredécim annis servitum et carcerem sustinuit, octoginta annis regnum administravit. »

FILII QUOQUE MACHIR. — « Filii, » id est filius: unum enim tantum genuit Machir; est enallage numeri. Ita S. Augustinus.

NATI SUNT IN GENIBUS. — *q. d.* Joseph filium Machir, mox ut natus est, sibi in filium adoptavit, ideoque in genibus suis eum statuit et excepit, uti fecit Rachel, cap. XXX, vers. 3 (1).

(1) Apud antiquissimos Græcos deponerentur nepotes in avi genibus, si adesset, ut liquet ex *Odys. T. 401*, ubi cum Antolycus Laertem invisisset paulo postquam natus esset Ulysses, eum et *Euryclæa genibus imposuit, finienti canam.*

24. ASPORTATE OSSA MEA VOBISCUM. — ut cum patre, avo et abavo sepeliam in Chanaan, terra nobis a Deo promissa. Vide dicta cap. XVII, vers. 29 et 30. Hoc est quod ait Paulus, *Hebr. XI*, vers. 22: « Fide Joseph, moriens, de protectione filiorum Israel memoratus est, et de ossibus suis mandavit. » Hoc autem, ait S. Chrysostomus, non temere faciebat; duo enim agebat: unum, ne Ægyptii memores beneficiorum ejus, cum pro more suo facile ex hominibus deos appellent, corpus justu haberent in impietatis occasionem; alterum, ut securi et certi omnino sint se redituros. Et videre licebat rem novam et admirabilem, eum qui omnem Israel in Ægypto pascibat, illum et ducent reditus, et in terram Israel inducentem. » Promissis Joseph factis steterunt Israelite, cum exeuntes ex Ægypto secum extulerunt ossa Joseph, eaque intulerunt in Chanaan, sepelieruntque in Sichem, ut habetur *Josue XXIV, 32* (2).

Anagoge Rabanus: « Joseph, inquit, incolatum terre Ægypti detestans, terram reipromissionis desiderabat, ut quamdiu sumus in hæc peregrinatione, veram patriam, terram viventium, justis promissum desideremus, et in eam transferri post mortem velimus; » Ideoque cum Psalle crebro suspiremus: « Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est! habitavi cum habitantibus Cedar, Concupisei, et deficit anima mea in atria Domini. »

Similia Josephi et Jacobi, puta pia et celestia, fuerunt aliorum Patriarcharum, et Sanctorum morientium monita et vota; ut Mosis, *Deut. XXXI* et *XXXII*; Josue, cap. XXV; Davidis, *II Reg. XXII* et *XXXII*; Elisæi, *IV Reg. XIII*; Mathathie, *I Machab. II*. Ita S. Basilii moriens suos ad se confluentes doctrina sacra instruxit, dicensque: « In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum, » animam lætus exhalavit. Testis est Nazianzenus, *orat. 20*.

S. Ambrosius moriens ait: « Non sic vixi, ut pudeat me inter vos vivere. Sed nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus. »

S. Augustinus moriens: « Non est mirum, inquit, quod cadunt ligna et lapides, et mortales moriuntur. »

S. Chrysostomus exul in magna afflictione paulo ante mortem scribens ad Innocentium Pontificem: « Nos, inquit, tertium jam annum in exilio versamur, expositi pestilentia, fami, bello, continuis incursionibus, solitudinis inenarrabili, quotidianæ morti, et Isauricis gladiis. » Hiscæ confectus tandem, et moriens dixit: « Gloria tibi, Domine, de rebus omnibus, » uti refert Nicephorus, *lib. XIII, cap. XXXVII*.

S. Martinus moriens, oculis ac manibus in cc-

(2) Vers. 25. *In loculo*, de quibus loculis Herodotus, *lib. II, cap. LXXXVI*: « Faciunt (Ægyptii) ligneam hominis effigiem, et postquam fecerunt, includunt mortuum; inclusumque in conclavi thecarum rectum statuunt ad parietem. » Ejusmodi arce, gall. *Nomies*, etiamnum in subterraneis Ægypti cryptis inveniantur. Cf. De Saulcy, *Hist. de l'art. Judaïque*, pag. 16.

Vers. 24

Anaga-

Pia Saec
torum
morientium
verba et
tina.

lum semper intuens, invictum ab oratione spiritum non relaxabat; et cum a presbyteris rogaretur ut corpusculum lateris mutatione relevaret: «Sinite, inquit, me cœlum potius respicere quam terram, ut suo jam itinere iturus ad Dominum spiritus dirigatur.» Hæc locutus diabolum vidit assistere; cui ille: «Quid hic astas, cruenta bestia? nihil in me funeste reperies. Abrahamæ me sinus recipiet,» inquit Sulpitius.

S. Fulgentius acerrimo morbo correptus: «Domine, inquit, da mihi modo patientiam, et postea indulgentiam,» petensque a suis errorum veniam, ac quod reliquum erat pecuniæ pauperibus distribuens, emigravit.

S. Gregorius sub mortem scribens ad Rusticam patriciam: «Me, inquit, amaritudo animi, et assidua exacerbatio, atque podagræ molestia afficit, ut corpus meum tanquam in sepulcro siccatum sit: unde peto ut pro me oretis, quatenus de hoc carcere citius educar.»

S. Hilarion, teste S. Hieronymo, moriens dicebat: «Egredere, quid times, anima mea? quid dubitas? septuaginta prope annis servisti Christo, et mortem times?»

S. Bernardus moriens: «Hæc tria, ait, in vita servavi quæ vobis commendo: primo, minus sensui meo quam alterius credidi; secundo, læsus de lædente vindictam non expetivi; tertio, nemini scandalum facere volui; et si quando incidit, sedavi ut potui.»

Gerardus, S. Bernardi frater, moriens ait: «Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis.»

Fernandus, Castellæ rex, moriens: «Domine, inquit, regnum quod a te accepi, tibi restituo; colloca me, queso, in æterna luce.»

Carolus, Siciliæ rex, moriens: «O vanas, inquit, hominum cogitationes! quid mihi jam regnum prodest? quam præstaret jam pauperem fuisse, non regem!»

SYNOPSIS

HISTORIÆ ET CHRONOLOGIÆ

TOTIUS GENESEOS.

1. Adam creatur. Primo anno mundi, die sexto, qui fuit dies voveneris, creavit Deus Adam et Evam. *Gen. i. 26.*
2. Seth nascitur. Anno 130 Adæ et mundi natus est Seth. *Genes. cap. v. vers. 3.*
3. Adam moritur. Anno suo et mundi 930 mortuus est Adam. *Gen. cap. v. vers. 5.*
4. Henoch raptus est in paradysum anno mundi 987; ætatis vero sue 365. *Gen. cap. v. vers. 23.*
5. Mathusalem nascitur. Natus est Mathusalem anno mundi 687, vixitque annos 969; ac consequenter mortuus est anno mundi 1656, qui fuit annus diluvii. *Genes. cap. v. vers. 27.*
6. Noe nascitur. Noe natus est anno mundi 1056, puta 126 annis post mortem Adæ; cumque esset 500 annorum, genuit Sem, Cham et Japhet. *Gen. v. 30.*
7. Diluvium. Anno sexcentesimo Noe, qui fuit annus mundi 1656, factum est diluvium, quod duravit annum integrum. *Gen. vii. 11, et cap. viii. vers. 14.*
8. Turris Babel. Anno 170 a diluvio, Nemrod cum suis edificat turrim Babel, ibique Deus confundit linguas, et dispergit homines in varias terras et gentes. *Gen. cap. xi. vers. 9, ut ibi ostendi.*
9. Abraham nascitur. Anno 292 a diluvio nascitur Abraham, qui fuit annus mundi 1949. *Gen. cap. xi. vers. 26.*
10. Noe moritur. Anno 350 a diluvio, cui Abraham ageret annum ætatis 58, moritur Noe. *Gen. cap. ix. vers. 29.*
11. Abraham vocatur a Deo. Anno ætatis sue 75, Abraham a Deo ex Chaldaea evocatur in Chanaan. *Gen. cap. xii. vers. 4.*
12. Victoria Abraham occurrit. Inter vocationem Abrahamæ et nativitatem Ismael, quasi medio tempore, puta sub annum Abrahamæ 80, videtur contigisse victoria Abrahamæ contra Chodorlahomor, et occursum benedictio ac sacrificium Melchisedech, de quo *Gen. xiv.*
13. Isaac nascitur. Inde post quinque annos, puta post decem annos a vocatione sua, Abraham ducit Agar ancillam suam, ex qua sequenti anno, qui fuit octogesimus sextus vite Abrahamæ, gignit Ismaelem. *Gen. cap. xvi. vers. 16.*
14. Circumcisiō instituitur. Inde a nato Ismael anno decimo tertio, cum Abraham esset 99 annorum, a Deo accipit Sacramentum circumcisiōnis, seque et Ismaelem circumcidit. *Gen. cap. xvii. vers. 24.*
15. Isaac concipitur. Hoc eodem anno 99 Abrahamæ, qui fuit mundi 2048, promittitur ei, et reipsa concipitur Isaac. *Gen. cap. xiii. vers. 10.*

Hoc eodem anno 99 Abrahamæ, imo et eodem die, quo Angeli Abrahamæ promiserunt filium Isaac, macontigit incendium Sodomæ, conversio uxoris Lot in statuum salis, Lot ebrietas et incestus cum fillabus. *Gen. cap. xxi. vers. 1 et seq.*

Anno sequenti, qui fuit centesimus Abrahamæ, nascitur Isaac. Abraham immolat Isaac agentem annum vigesimum quintum, anno ætatis sue 125, si credimus Josepho. *Gen. cap. xxxii.*

Sara uxor Abrahamæ moritur anno ætatis 127, qui fuit Abrahamæ 137. *Gen. cap. xxiii. vers. 7.*

Isaac ducit Rebeccam anno ætatis sue 40, qui fuit Abrahamæ 140. *Gen. cap. xxv. vers. 20.*

Abraham moritur anno ætatis 175, qui fuit annus mundi 2124. *Gen. cap. xxv. vers. 7.*

Ismael moritur anno 48 post mortem Abrahamæ, cum esset 137 annorum. *Gen. cap. xxv. vers. 17.* Isaac gignit Jacob et Esau anno ætatis 60, qui fuit a diluvio annus 432, mundi 2109. *Gen. cap. xxv. vers. vers. 26.*

Anno 502 a diluvio, cum Jacob ageret annum ætatis quinquagesimum, moritur Sem, filius Noe: vidit ergo Jacob suum avum undecimum Sem; a Sem enim undecima generatione descendit Jacob: vixit enim Sem annis 602. *Gen. cap. xi. 14.* Jacob fratri Esau praripit benedictionem patris, ideoque fugit in Haran, anno ætatis 77, ibique servit Laban per viginti annos, quibus expletis redit in Chanaan anno ætatis 97. *Genes. cap. xxxi. vers. 41.*

Jacob cum esset 91 annorum, gignit Joseph, 26. *Jo. puta anno mundi 2200. Gen. cap. xxx. vers. 24 et 25 juncto cum Gen. cap. xxxi. vers. 41.*

Moritur Isaac anno ætatis 180, qui fuit Jacobi 120. *Gen. cap. xxxv. vers. 28.*

Joseph venditur in Ægyptum anno ætatis decimo sexto, cum jam paulo ante mortua esset ejus mater Rachel, et natus Benjamin. Paulo ante mortem Rachel contigit stuprum Dinæ, et excidium Sichimorum. *Gen. cap. xxxvii. vers. 2.*

Joseph servit in Ægypto tredecim annos, puta usque ad annum ætatis trigessimum, ex quibus tres ultimos annos egit in carcere. *Gen. cap. xl. vers. 4 juncto cum Gen. cap. xli. vers. 1.*

16. Sola quo Angeli Abrahamæ promiserunt filium Isaac, macontigit incendium Sodomæ, conversio uxoris Lot in statuum salis, Lot ebrietas et incestus cum fillabus. *Gen. cap. xxi. vers. 1 et seq.*

17. Isaac nascitur.

18. Isaac immolat.

19. Sara moritur.

20. Rebecca nascitur.

21. Abraham moritur.

22. Isaac et moritur.

23. Jacob nascitur.

24. Moritur Sem.

25. Joseph nascitur.

26. Joseph venditur in Ægyptum.

27. Isaac moritur.

28. Joseph servit in Ægypto.

29. Joseph moritur.